



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. An Ecclesia, vel Prælati ejus nomine possit mutuum dare, & an, ac quomodo Ecclesia, vel monasterium obligetur ex mutuo ipsi dato?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

contractu, & requisitis ad eum apud Civilitas.

## §. II.

*An Ecclesia, vel Prælati eius nomine possit mutuum dare, & an, ac quomodo Ecclesia, vel monasterium obligetur ex mutuo ipsi dato?*

**P**rohibetur quidem Prælati Ecclesie in cap. Si quorundam 2. h. e. ne quis eorum Ecclesiam gravare præsumat, (mutuum dando vel accipiendo nomine Ecclesie, ut ait *Glossa hic verbo gravare.*) absolutè tamen, si Ecclesia, vel Prælati abundantes redditus Ecclesiasticos habeat, non est prohibitum illis, mutuum dare indigentibus, modò de Summa Capitali sufficiens fiat asscuratio, cum mutuum dare indigentibus sit opus pietatis, & Ecclesia in tali casu non gravetur: & quamvis in casu necessitatis, vel utilitatis Ecclesie possit etiam mutuum accipere nomine Ecclesie Prælati, cum vel sine consensu etiam Capituli, pro mutui diversitate, & illius Ecclesie praxi, attendere tamen debet, ne suæ sibi commissæ potestatis limites excedat in tali mutuo accipiendo, cum periculo alienationis rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum, ad dissolvendû tale debitum; aut supra Summam sibi per statutum, aut Capitulationem definitam, vel quæ dissolvi facillè non possit ex fructibus suæ administrationi commissis. Quòd si enim limites commissæ sibi potestatis excedat, non obligabitur Ecclesia vi mutui talis, nisi probaverit mutuans in utilitatem Ecclesie mutuum illud fuisse conversum (quod statuunt jura ad coercendam Prælatorum in mutua

nomine Ecclesie petendo, facillimum, & libenter mutuancium pro concessio quo pronitatem, quo in casu concessio debet, de in rem verso, que mutuum accepit, Ecclesia) quam difficultem probationem non debet subire mutuans, iuxta commissæ potestatis limites mutuum dedit Prælati Ecclesie, non hujus mutuum petenti, prout etiam probari potest ex cap. 1. h. e. & ex cap. 17. in utilitatem. c. 4. De Fidei iuribus. Dicitur autem in bonum Ecclesie pecunia v. g. mutuo concessa, concessa fuisse, si in eam causam expensa fuit, quam tantundem de bonis Ecclesie expendi debuisset, aut rationabiliter nomine Ecclesie tales sumptus facti ministrator.

## §. III.

*An successor in Prælatiura, vel beneficio teneatur solvere debita antecessore suo contracta?*

**T**enetur successor ex bonis, & redditibus Ecclesie, solvere debita antecessore facta pro Ecclesie utilitate, & necessitate cap. Ad hoc 1. h. e. ut necessaria, & conveniente antecessoris sustentatione; habet enim successor in beneficio se, velut hæres antecessoris, in quem omnia commoda, & onera iura transeunt; & sicut sustentationem suam ex redditibus Ecclesie beneficarius habere debet, ita, si pro tali sua sustentatione debita contraxit, debent ea ex bonis & redditibus Ecclesie dissolvi, nisi scilicet ens tenuitatem beneficii ultro id accepisset; hoc enim in casu ex patrimonialibus defuncti dissolvi debent, talia debita ab hæredibus, cum sciens, ac tamen accipiens tenuit beneficium meo iure sumunt.